

67

proximum vestigium reperiri affirmet. Verum ab homine locorum illorum perito asseveratur mihi, prope Saxi Corbarii Castrum ingentia Antiquorum ædificiorum rudera Pisauro imminere. Hæc fortasse fuerint Pisarensis Pitini vestigia.

Exposito Pitinorum situ, cognominum, quibus demonstrabantur, ratio mihi nunc reddenda est. Ea autem illis Urbibus, ut altera ab altera distingueretur, imposita fuisse, non est cur dubitemus; quum præsertim apud veteres id in usu maxime fuerit, ut quotiens duæ Urbes eodem essent nomine insignes, diverso illas cognomine notarent. Mitto exempla, quæ haud longe petenda essent, in hæc enim eadem regione duplex fuit Tifernum, alterum cognomine Tiberinum, Metaurense alterum: Duplex Urbinum, Metaurense, & Hortense: Duplex Nuceria, Favonienfis, & Camellaria. Antiquissimus sane mos hic fuit in Italiâ, & Pelasgorum ævo jam inoleverat, ut ex Eugubinis Tabulis constat, in quibus duplices *Tarfinates* populi memorantur, cognomine alteri *Trifores*, alteri *Tusci*, quod in eâ epistolâ animadverti, quam ad Marcellum Franciarianum superiori anno scripsi de recenti earundem Tabularum Interpretatione; ideo igitur ex Pitinis, *Pisarense* alterum dictum fuit, alterum *Mergens*. Hæc autem cognomina haud temere illis Urbibus indita fuisse facile patet. *Pisarense* enim Pitinum dicebatur, quod ad Pisauri amnis ripam situm fuerit, ut scite animadvertit Fabrettus l. l. & Anonymus Mediolanensis de Tabul. Chorographic. Ital. Med. xvi Sect. XVII. n. 89. p. 178: Pitinum vero *Mergens*, quia in declivi colle situm *mergi* forte videretur, ubi duo junguntur, & confluunt flumina, anonymus nempe torrens a Fagiola monte descendens, ut recte describit Abstemius, & Apesius fluvius, qui *Isapis* Lucano dicitur in lib. II. Pharsal. v. 406. ex emendatione Grotii:

& junctus Isapis Isauro:

idcirco fortasse ab eo inter celebriores Italiæ fluvios memoratus, quod proxime illius ripas Pitinum *Mergens* positum fuerit.

HVIC ANNO QVINQVENNAT. Gruterus, & Fabrettus ediderunt QVINQVENNAT; Sed contra lapidis fidem. Puto hunc esse Inscriptionis sensum. *Huic* (Abejenæ) *Anno Quinquennialitatis Petinii Apri Mariti ejus Plebem Urbanam Pisarensem ob merita eorum* Statuam conlocasse, quam huic Basi impositam olim fuisse ex vestigiis etiam num deprehenditur. Nec scrupulum facit, quod in lapide habeatur QVINQVENNAT.

I 2

Po-